



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitvlaria Regvm Francorvm

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

Capitvla Lvdovici Balbi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-22974

CAPITVLA
LVDOVICI II.
FRANCORVM REGIS,
KAROLI CALVI F.

TITVLVS PRIMVS.

Quando Compendij coronatus est.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ DCCCLXXVII.
*in Compendio palatio, hæc quæ sequuntur ab Episcopis petita sunt apud
Hludouicum Regem, & ab eo promissa Episcopis.*

PETITIO EPISCOPORVM.

AVobis perdonari nobis petimus ut unicuique de nobis & Ecclesiis nobis commissis, secundum primum capitulum quod novissimè in Carisiaco Dominus Imperator pater vester à se & à vobis servaturum, consentientibus fidelibus illius ac vestris atque apostolicæ sedis Legatis, legente Gauzleno, denunciavit, canonicum privilegium & debitam legem atque iustitiam conservetis, & defensionem exhibeatis, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

PROMISSIO REGIS.

Promitto & perdono vobis quia unicuique de vobis & Ecclesiis vobis commissis, secundum primum capitulum quod novissimè in Carisiaco Dominus Imperator pater meus à se & à me servaturum, consentientibus fidelibus illius ac nostris atque apostolicæ sedis Legatis, legente Gauzleno, denunciavit, canonicum privilegium & debitam legem atque iustitiam conservabo, & defensionem, quantum potuerit, adjuvante Domino exhibebo, sicut Rex in suo regno unicuique Episcopo & Ecclesiæ sibi commissæ per rectum exhibere debet.

HOC EST CAPITVLVM QVOD HIC
COMMÉMORATVR.

De honore quoque & cultu &c. *ut supra pag. 259. 267.*

Commendatio Ansegisi Episcopi & aliorum Episcoporum qui adfuerunt apud Compendium quando benedixerunt Hludouicum filium Karoli Imperatoris.

Me ac Ecclesiam mihi commissam vobis commendo ad debitam legem & iustitiam conservandam & defensionem exhibendam, sicut Rex Episcopos Ecclesiæ suæ iusto iudicio conservare & exhibere debet.

PROFESSIO IPSORVM.

Ego ille ipse sic profiteor, de ista die & deinceps isti seniori & Regi meo Hludouico Karoli & Hermentrudis filio secundum meum scire & posse & meum ministerium auxilio & consilio fidelis & adiutor ero sicut Episcopus rectè seniori suo debitor est, in mea fide & meo sacerdotio.

Ad superscriptam verò Episcoporum petitionem hæc quæ sequuntur Rex Hludouicus professus est Episcopis, & istam ipsam perdonationis scripturam manu sua eis dedit in Compendio 11. Kalendas Decembris.

PROMISSIO

PROMISSIO HLUDOVICI REGIS.

Ego Hludouicus misericordia Domini Dei nostri & electione populi Rex constitutus promitto, teste Ecclesia Dei, omnibus ordinibus, Episcoporum videlicet, sacerdotum, Canonicorum, monachorum, atque sanctimonialium, regulas à patribus conscriptas & apostolicis attestationibus roboratas ex hoc in futurum tempore me illis ex integro servaturum. Polli-

ceor etiam me servaturum leges & statuta populo qui mihi ad regendum misericordia Dei committitur, per commune consilium fidelium nostrorum, secundum quod prædecessores mei Imperatores & Reges gestis inseruerunt, & omnino inviolabiliter tenenda & observanda decreverunt. Ego igitur Hludouicus rectitudinis & iustitiæ amore hanc spontaneam promissionem meam relegens manu propria firmavi.

TITVLVS II.

Synodi Tricassinæ.

ANNO INCARNATIONIS DOMINICÆ DCCCLXXVIII.

Indictione XII. mense Augusto lecta sunt in synodo Tricassina hæc quæ sequuntur capitula, statuta à Domino Iohanne summo Pontifice Romano, quæ sancta Synodus recepit & confirmavit.

CAP. I.

VT Episcopi cum omni reverentia à cunctis mundi potestatibus debite honorentur, atque coram eis federe nullatenus audeant, nisi illis præcipientibus. Et res ecclesiastica à laicis & popularibus præter Præsulum earum conscientiam nullo modo contingantur. Quod si post hanc nostram definitionem quis tentaverit, prius communione Ecclesiæ repulsus, si non resipuerit, anathematis vinculo innotetur.

II.

Ecclesiarum sanctarum possessiones, id est, monasteria, mansa, cortes, villas, patrimonia, omniæque quæ jurisdictionibus earundem conveniunt, nullus suppetere à Romano seu reliquis Pontificibus præsumat, nisi personæ quas canonica sancit auctoritas; ut est illud primo anno ordinationis nostræ apud beatum Petrum Apostolum constitutum.

III.

Vt illa capitula quæ anno præcedente apud Ravennam statuiimus synodali collegio, inconvulsa ab omnibus observentur.

IV.

Vt Episcopi nullo modo confratrum confacerdotumque suorum parvipendere audeant vexationes Ecclesiarumque pres-

Tom. II.

suras; sed unanimiter cuncti baculo pastoralis & apostolica auctoritate succincti, in prælio pro domo Israel, id est, Christi Ecclesiæ, stare communiter non prætermittant.

V.

Vt expulsi laici vel quilibet de clero pro quibusdam facinoribus à propriis Episcopis, ab aliis juxta canonum statuta non suscipiantur, ut igne poenitentis decocti, misericordiam Domini, prout potuerint, lacrymis stertibusque sibimet ante mortis obitum adquirent.

VI.

Nemo alterius liberum hominem, sicut jam in alia synodo constituimus, recolligere præsumat sine illis causis quas leges mundanæ præcipiunt. Si quis deinceps contra hæc nostra statuta tentaverit, sciat se ab omni ordine ecclesiastico esse privandum.

VII.

Confratrum coepiscoporumque accusationes fieri occultè omni modo prohibemus; quia sæpe contingit ut innocentes à malis huiusmodi condemnentur. Sed si accusatio super persona cujuslibet Episcopi dicitur, canonicè sancitus in publicum prætendatur, quoniam scriptum est: *Cecidit de celo accusator fratrum, qui accusabat eos ante conspectum igni.* &

S

1. Ioan. 3. iterum : *Qui odit fratrem suum homicida est, & : Qui non diligit fratrem suum quem videt ; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere ?* His & talibus documentis instructi, si quis contra hoc Dei decretum tentaverit Episcopus, Presbyter, & Diaconus, proprio honore privetur, laicus verò cujuscumque dignitatis omni Christiana careat dignitate, & nisi utrique resipuerint, anathematis vinculo inno-
dentur.

SUBSCRIPTIONES.

Johannes apostolicæ Romanæ Ecclesiæ primæ sedis Episcopus huic decreto à nobis promulgato subscripsi.
Vvalbertus Portuensis Episcopus subscripsi.
Petrus Forosēpronij Episcopus subscripsi.
Pasealius Episcopus subscripsi.
Hincmarus Remorum metropolis Episcopus subscripsi.
Ansegisus Sennensis Archiepiscopus subscripsi.
Aurelianus Lugdunensis Archiepiscopus subscripsi.
Sigebodus Narbonensis Archiepiscopus subscripsi.
Rostagnus Arelatensis Archiepiscopus subscripsi.
Adalardus Turonensis Archiepiscopus subscripsi.
Teudericus Vefontionensis Archiepiscopus subscripsi.
Otramnus Viennensis Archiepiscopus subscripsi.
Isaac Lingonensis Episcopus subscripsi.
Gerbodus Cabillonensis Episcopus subscripsi.
Agilmarus Arvernensis Episcopus subscripsi.
Bernerus Gratianopolitanus Episcopus subscripsi.
Abbo Nevernensis Episcopus subscripsi.
Ottulfus Augustæ Tricorum Episcopus subscripsi.
Gislebertus Carnotensis Episcopus subscripsi.
Vvaletridus Vceciensis Episcopus subscripsi.
Hildeboldus Sueffionensis Episcopus subscripsi.
Teotharius Gerundensis Episcopus subscripsi.
Ingelvvinus Parisiorum Episcopus subscripsi.

Edenulfus Laudunensis Episcopus subscripsi.
Adebertus Silvanectensis Episcopus subscripsi.
Berno Catalaunorum Episcopus subscripsi.
Maricus Biterrensensis Episcopus subscripsi.
Ecfrius Pictavensis Episcopus subscripsi.
Item Abbo Magalonenfis Episcopus subscripsi.
Frodoinus Barcilonenfis Episcopus subscripsi.
Arnaldus Tullensis Episcopus subscripsi.

IOHANNIS VIII. PAPÆ
ADLOCVTIO AD REGEM SVB
FINEM SYNODI.

Vos, carissime fili Hludouice gloriose Rex, precor in defensionem, liberationem, atque exaltationem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sicut prædecessores vestri fecerunt, & vobis sub attestatione facere mandaverunt, sine procrastinatione & ulla dilatione succurrite : quia ministri Dei estis, vindices in ira in his qui male agunt, & non sine causâ gladium portatis, ne fortè, quod absit, illa vos aut regnum vestrum culpa contegat quæ quosdam veteres Reges inimicis & infidelibus Dei quondam parentes damnabiliter strinxit. Vel si aliud placet, præfentialiter in isto loco date, per Deum & beatum Petrum vos conjuro, sine mora responsum.

CONFIRMATIO LEGIS KAROLI
DE COMPOSITIONE SACRILEGII,
edita coram Hludouico Rege & Episcopis
L I I I. in Consilio Tricassino, &
eorum auctoritate juncta Gothicæ legi.

Iohannes Episcopus servus servorum Ivo pat. j. Dei omnibus Episcopis per Narbonensem^{c. 98.} atque Hispanicis provinciis consistentibus, Abbatibus, Presbyteris, cunctisque simul ordinibus divino ministerio mancipatis, necnon Comitibus, Vicecomitibus, Vicariis, Centenariis, Iudicibus, & omnibus in potestatibus constitutis in Hispania & Gothia provinciis degentibus, omnique populo occidentali catholico, salutem & apostolicam benedictionem. Auctore omnipotente Deo mediante, incarnationis Domini nostri Iesu Christi anno DCCCLXXVII. Indictione XI. XV. Kalendas Septembris, Domno videlicet Hludouico serenissimo regnante anno primo, actum est à nobis apud urbem Trecaz pro statu sanctæ Dei Ecclesiæ

synodale Concilium : ubi sedentibus nobis in corona, venit ante presentiam nostram filius noster Sigebodus primæ sedis Narbonensis Episcopus cum suis suffraganeis Episcopis, & detulit nobis librum Gothicæ legis, ubi nihil habebatur de sacrilegiis, & in eisdem legibus scriptum erat ut causæ quas illæ leges non habent, non audirentur à iudicibus illius patriæ. atque ita jus sanctæ Ecclesiæ suffocabatur ab incolis Galliæ & Hispaniæ provinciis. Vnde nostra serenitas cum præscriptis Episcopis, inspectis legibus Romanis, ubi habebatur de sacrilegiis, invenimus ibi à Iustiniano Imperatore legem compositionis sacrilegij constitutam, scilicet in quinque libras auri optimi. Sed nos leniorem legem præ-

cipimus esse tenendam quæ à Karolo est constituta pio Principe de compositione sacrilegij, videlicet in triginta libras examinati argenti, id est, sexcentorum solidorum argenti purissimi. Ideoque quisquis inventus fuerit reus sacrilegij, istam leviolem compositionem emendet ipsis Episcopis vel Abbatibus sive personis ad quos sacrilegij querimonia iuste pertinuerit. Et si ipse reus sacrilegij facere noluerit, tandiu excommunicationi subjaceat usquequo prædictam compositionem sexcentorum solidorum persolvat. Et si in hac obstinatione mortuus fuerit, corpus ejus cum psalmis & hymnis non deferatur ad sepulturam. Et præcipimus ut in fine codicis legis mundanæ scribatur hæc lex.

17. q. 4. c.
21. Quisquis
inventus.

TITVLVS III.

Conventus Furonensis.

CONVENTIO QUÆ INTER GLORIOSOS REGES

Hludovicum filium Karoli Imperatoris, itemque Hludovicum filium Hludovici Regis, in loco qui vocatur Furonis, Kalendis Novembris, ipsis & communibus fidelibus ipsorum faventibus & consentientibus, facta est anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIX. Indictione XII. dicente Rege Hludovico filio Karoli.

Sicut inter patrem meum Karolum & patrem vestrum Hludovicum regnum Hlotharij divisum fuit, volumus ut ita consistat. Et si aliquis nostrorum fidelium de regno paris sui ex hoc aliquid purisum habet, iussu nostro illud dimittat.

De regno verò quod Hludovicus Imperator Italiæ habuit, quia necdum ex illo aliqua divisio facta est, quicumque modò illud tenet, ita teneat, donec Domino volente iterum simul venientes, cum communibus fidelibus nostris inveniamus & diffiniamus quod ex hoc melius & iustius nobis visum fuerit.

De regno autem Italiæ quia modò nulla ratio esse potest, omnes sciant quia partem nostram de illo regno & requisivimus & requirimus, & Domino auxiliante requiremus.

ISTA SEQUENTI DIE STATUTA SVNT.
CAP. I.

Vt quia firmitas amicitie & conjunctionis nostræ modò, quibusdam præpedien-

Tom. II.

tibus causis, esse non potuit, usque ad illud placitum quò simul ut conveniamus statutum habemus, talis amicitia inter nos maneat, Domino auxiliante, de corde puro & conscientia bona & fide non ficta ut nemo suo pari vitam, regnum, aut fideles suos, vel aliquid quod ad salutem sive prosperitatem ac honorem regni pertinet, discupiat aut foreconsiliet.

I I.

Vt si in cujuscunque nostrum regno pagani sive pseudochristiani insurrexerint, unusquisque veraciter suum parem, ubicunque necessitas illi fuerit, & ipse rationabiliter potuerit, aut per semetipsum aut per suos fideles & consilio & auxilio, prout melius potuerit, adjuvet.

III.

Vt si ego vobis superstes fuero, filium vestrum Hludovicum adhuc parvulum & alios filios vestros quos vobis Dominus donaverit, ut regnum paternum hereditario jure quietè tenere possint, & consilio

S ij

& auxilio, prout melius potuero, adjuvabo. Si autem vos mihi superstes fueritis, filios meos Hludovicum & Karlomanum & alios quos divina pietas mihi donare voluerit, ut regnum paternum quietè tenere possint, similiter & consilio & auxilio, prout melius potueritis, adjuvetis.

IV.

Vt si aliqui susurriones & detractores, & qui paci nostræ invident, & quietum regnum esse non patiuntur, inter nos lites & contentiones & discordias seminare voluerint, nullus nostrum hoc recipiat aut libenter acceptet, nisi fortè hoc ad rationem coram nobis utriusque & communibus fidelibus nostris perducere voluerit. Si verò hoc noluerit, cum nullo nostrum aliquam societatem habeat, sed omnes illum sicut mendacem & falsarium, & inter fratres volentem seminare discordias, communiter à nobis abiciamus, ne de cetero quisque talia mendacia auribus nostris inferre audeat.

V.

Vt communiter, prout citius potuerimus, Missos nostros ad Karlomanum & Karolum gloriosos Reges dirigamus, qui eos ad placitum, quod VII. Idus Februarij statutum habemus, invitent, & ut nullatenus venire differant obsecrent. Et si secundum quod optamus venire voluerint, communiter nos ad Dei voluntatem & sanctæ Ecclesiæ salvationem ac communem honorem nostrum & profectum ac salvamentum totius populi Christiani nobis commissi, Domino cooperante, ita jungamus ut de cetero in eo qui unus est unum simus, & unum velimus, & idiplum dicamus, secundum Apostolum, & faciamus omnes, & non sint in nobis ulla schismata.

VI.

Si autem illi obsecratione nostra vocati & invitati aut Missi eorum ad præfatum placitum venire distulerint, nos, secundum quod statutum habemus, illuc om-

nino venire & nos secundum Dei voluntatem conjungere omnimodis non omittamus, nisi fortè talis inevitabilis necessitas evenerit pro qua id fieri nullatenus possit. Et si hoc acciderit, ad tempus quisque pari suo hoc rescire faciat, & propterea amicitia nostra nec minuatur nec immutetur, donec, Domino volente, congruo tempore perfectè confirmetur.

VII.

Vt res Ecclesiarum, in cujuscunque regno caput fuerit, tam de episcopatibus, quam de abbatibus, sine ulla contradictione rectores ipsarum Ecclesiarum illas possideant. Et si aliquid ibi misfactum à quocumque est, in cujuscunque regno illa res consistunt, legaliter exinde justitiam redere faciat.

VIII.

Et quia per vagos & in tyrannica consuetudine inreverentes homines pax & quies regni perturbari solet, volumus ut ad quemcunque nostrum talis venerit ut de his quæ egit rationem & justitiam subterfugere possit, nemo ex nobis illum ad aliud recipiat vel retineat nisi ut ad rectam rationem & debitam emendationem perducatur. Et si rationem rectam subterfugerit, omnes in commune in cujus regnum venerit, illum persequamur, donec aut ad rationem perducatur, aut de regno expellatur, vel deleatur.

IX.

Volumus ut hi qui merito proprietatem illorum in nostro regno perdidit ita judicentur sicut temporibus antecessorum nostrorum inventum fuit. Qui verò dicunt se injustè proprietatem illorum perdidisse, veniant in nostram præsentiam, & sicut justum est, ita illis judicetur, & sua recipiant.

Hoc dicto, Hludovicus Hludovicifilius ad sua rediit, & Hludovicus Karoli filius per Arduennam veniens anno incarnationis dominicæ DCCCLXXIX. in Longlario nativitatem Domini celebravit.

